



בש' הק"כר:

## Benevolo Lectori.

ש"ר:



Quod vulgato aliqua de re proverbio dici solet; Laudari eam ab his, ab illis culpam; id Rabbinicis scriptis olim etiam accidisse notissimum est. Nolumus Paparum contra Judæorum libros Zelum nominare, qui prorsus illos tollendos sapissime præceperunt; quis enim id in illis miretur, cum & Christianorum libros legere prohibeant, ipsis Judæis non dissimiles, quos parum amicos librorum lingua non sua scriptorum Lightfootus *Opp. T. II. p. 254.* nominat. Agitabatur anno supra millesimum quingentesimo decimo inter Jacobum Hogostratum, à Judæo Christianam fidem simulante Jo. Pfefferkornio instigatum, aliosque Colonienses Theologos, & Jctum doctissimum Jo. Capnionem, qui Vir absolutissimus, & unicum Germaniæ decus, lumen & columen Erasmo, Kirchero teste *de Usu Concordantiarum in Epilogo*, audit, controversia; an Usus quendam Rabbinici libri habeant; quorum illi non id negabant modo, sed plane auferendos censebant; Enim vero vicit illos fortissime Reuchlinus, asserendo, non abolenda istiusmodi scripta esse, cum commodum afferant orbi Christiano maximum, plurima vero, si in nihilum redigantur, damna. Cujus controversiæ Sleidanus

*lib. II.*